

dies novis, iisque gravissimis atque intolerabilibus plane attentatis, denique, cum Catholici in eo persisterent, medellam ab Augustissimo imperatam Gravaminibus allatam esse, Evangelicos iteratis vicibus petiisse ab Imperatore, ut per Commissiones locales in veritatem rei inquiratur, at vero neque hoc, neque Tractatum de componendis Gravaminibus Religionis pace Badensi superioribus vel initium solum factum esse in hunc usque diem.

§. V.

Concludimus iam ex hisce præmissis: I. Statum Pacis Badensis quoad materiam Gravaminum Religionis nulla niti Lege vel Concluso Imperii. Ad utrumque enim requiritur, ut res aliqua in tribus S. R. I. Collegiis rite proponatur, de eadem Vota ferantur, secundum quæ Conclusa primo Collegiorum, dein & commune Placitum formetur, idem demum Imperatori offeratur atque ab eodem approbetur; iam vero plane hæc omnia deficiunt in substrato, cum de Gravaminibus Religionis ad Statum Pacis Badensis reducendis neque ulla S. R. I. Senatibus Propositio unquam facta fuerit, neque deliberatum sit super eadem, multoque adeo minus Conclusum quoddam Collegiorum vel singulorum vel omnium extare eidemque ratihabitio Imperatoria accedere potuerit, sed fundamenti loco habet hic status Propositionem quandam Regis Britannici Imperatori factam atque ad eandem Declarationem Cæsaream, in qua acquievere certo modo Evangelici.

Status Pacis Badensis nulla Imperii Lege nitiur.

§. VI.

Hinc II. nec ipsis Statibus &c. Catholicis ius quoddam agendi contra Evangelicos ex hac ipsa Conventione competit, idque eo minus, quod, cum Status Evangelici in Voto communi 14. Mart. 1721. in Collegio Principum ad Protocollum edito materiam hanc tangerent, Catholici in Voto ipsorum communi die 30. Maii plane eam præter-

Catholicis Statibus nullum ex eo ius competit contra Evangelicos.

F

mitte-